



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

18. Errorem Praedestinationorum verum futurum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

explicare, quomodo maxima hominum pars non sit divina potestate predestinata ad malum, & creata, ut peccat. Quod Iulius tum ibi, tum inferius declarat, ostendendo parum interesse ad praxim, siue dicatur positive reprobati, quod hæretici nostri volunt, siue negative, si aequè insalubriter sequatur damnatio.

Sed ista querela proprijs Massiliensium verbis expressa est, qui obijciunt Augustino apud Prosperum: Quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum.

NOTA XVIII.

Errorem Prædestinatorum Verum suorum.

Addit ad ista gravius aliquid Gregorius de Valentia, quod sequeretur ex istâ sententiâ error Prædestinatorum, qui ita, inquit, *nimiamantur*, propterea quod dicunt, nihil bona opera ad salutem prodesse prædestinati, quasi non essent salvi facti absque illis. Quod recte videtur sequi, si ante omnem respectum ad opera, firmum de illorum salute sit decretum. Tunc enim ex vi eius firmi decreti fierent salvi, quamvis pie non operarentur. Sed non advertit, Prædestinarios illos, quos vocat hæreticos, non alios esse, quam Augustinum, Prosperum, & sectatores eorum, imò Catholicam Ecclesiam, cujus doctrinam de prædestinatione Massilienses calumnioso dixerio hæresin Prædestinatorum, siue Prædestinatorum esse dicebant. Unde prius omnium Gennadius Massiliensium non postremus istos in hæreticorum catalogo collocavit. Quâ de causâ etiam Faustus, ubi aperitissimo Marte sancti Augustini doctrinam nititur proterere, capita sententiarum ejus, tanquam hæreticorum dicta, vellicat & oppugnat. Quâ de re cui plura videre lubet, videat ea quæ fusè de Prædestinantis libro postremo de hæresi Pelagiana disserimus. Gregorius igitur si observasset se Massiliensium obloetas adversus Augustini doctrinam refricare querimonias, paulo timidius forsân ad eorum verba confugisset, quorum sensus ei probari videretur. Atque ista quidem sunt potissima querelarum capita, quas eodem modo adversus prædestinationem presbyteri Massilienses & nostri recentiores ingeminant. Eas vero tanquam adversus prædestinationem, quæ præscientiam operum, seu humanæ cooperationis supponit, falsas comminisci, quasi ex ea sequeretur, homines ad perditionem conditi, quorum peccata in Deum redeant; Deum non esse redemptorem omnium, acceptorem esse personarum, sollicitudinem, zelum, correptiones, exhortationes, spem, orationes, libertatem arbitrij, studium virtutis funditus tolli; desperationem, torporem, fœcordiam, dissolutionem ac licentiam vitæ, denique fatalem afferri vitæ humanæ necessitatem, insipientia profecto singularis est, tam in eis qui hoc de Massiliensibus acutis viris fingere potuerunt, quam in eis, de quibus hoc perturbare conantur. Delirium est enim aliquid hujusmodi de tali prædestinatione formi-

niare, cujus decretum omni ex parte in hominis potestate constituitur; infantum vero, illas ab eis profundi posse querimonias, qui ultro plena voce & professione protestantur se, prædestinationem secundum præscientiam recipere; se illos ponere prædestinari atque eligi, quos Deus præscienter credituros: denique qui discretis verbis dicunt: Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit. Quid ergo recentiores hujusmodi prætextus comminiscendo aliud faciunt, quam suæ causæ imbecillitatem produunt, quæ talibus fulcris sustentari debet, ut cum aliquo colore, aliam à se prædestinationem defendi, aliamq; oppugnari, quam à Massiliensibus defensa & oppugnata fuit, hominibus quoquo modo videatur. Quod si tamen ita se res habet ut Massilienses prædestinationem Iesij, Vasquez, Moling; gratiasque sufficientes & congruas, quas tum ipsi, tum ceteri tradunt, & ab Augustino traditas fuisse arbitrantur, tam invidiosis vocibus pullaverint, quid causa est, cur eisdem querimonijs nunc nemo ad versus ipsos utatur? Nemo ipsorum sententiam in tot portentorum invidiam vocet? Cur nullus queritur, Lessium, Molinam, Vasquez prædestinatione sua, unâque cum ceteris gratiæ suæ prædicatione studium virtutis infringere? Libertatem, sollicitudinem salutis, exhortationes, orationes, animarum zelum tollere? Fatum, mœrorem, fœcordiam, dissolutionem, desperationem afferre? Cur nunc, mutata vel ficatione, omnia contraria symptomata de ista sua tanquam Augustiniana gratiâ & prædestinatione prædicant? An ita repente omnia commutata sunt, ut quod tunc atrum; nunc album sit? Ut quod tunc intellectu fatente Augustino, difficillimum; nunc facillimum dici debeat? Quod tunc torporem, mœrorem, horrorem, desperationem, licentiam vitæ, fatalesque necessitates animis ingerebat; nunc è contrario, tanquam solatio & spe plerum, castigandis fluxis moribus efficacissimum, libertati omni ex parte congruum, sanandis mœroribus ac desperationi remedium præsentissimum commendandum sit? Quod tunc ab incerta de voluntate pendere; nunc totum in hominis potestate constitutum esse videatur? O rerum inusitatas metamorphoseis Ovidianis profecto mirabiles! Sed nimirum durum reum necessitas. Sic enim, eum in illas sententias bono studio, sed non satis cauto, incidissent, tota scena subinde concinnanda fuit, ut & caliginosus Augustinus, & bruti Massilienses fuerint: ne forte, si illam veram Augustinianam gratiam & prædestinationem adhuc pristinum illum vultum benignitate & severitate temperatum proferre saterentur, blandula & mollis sententia recentiorum, ex Massiliensium cineribus resuscitata, & adversus Augustinum iterum ardetare crederetur.

Nunc itaque videamus an & quo etiam pacto in oppugnanda gratiâ, quæ est proprijs effectus Augustinianæ prædestinationis, invicem similes aut dissimiles ostendantur.

Disp. 1. 9.
23. de præd.
p. 104.
prob. 8.

Lib. 8. c. 101.

In Epist.
Prosop.
Hic. in
Epist.
Faustib. 1.
c. 3.